

Inter magnanimos Fabios numerare solebat.
 Scipiadasq; suos, dicam te Maxime PAVLE
 Pontificum; vt nulli sis religione secundus,
 Nulli etiam et fama, et pietate: en te uelut Orbis
 Obseruat, Solemq; suum rediuiuus adorat
 Felicem virtute tua, et durante senecta:
 Dicam Romani duo lumina viua Senatus
 Germanos, rursusq; duos, quos Martius ambit
 Baltheus; et claris exornant cingula bullis:
 Ista tamen proprios Vates praeconia poscunt,
 Ad te ego descendi noua Nupta, hic haereo tantu
 Et tibi de laudum numerosa ambage tuarum
 Summa legam, capitumq; meo petere inde Coronam
 Est animus: tu prima mihi es quae carminis auctor,
 Tu suprema uenis, in te mea vota quiescunt:
 Ergo adsis nostris ceptis bone Iuppiter, adsis
 Euentus bone, et haec latus connubia firma
 Auspicijs: Tuq; in primis quae pronuba Iuno
 Sola puellarem soluis, sine labe pudorem:
 Per uos contugijs indulgent omnia, per vos